Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



& cupiebat implere uentrem suum de siliquis quas porci manducabant. & nemo illi dabat. In se autem reuersus dixit. Quanti mercenarii in domo patris mei habundant panibus ego autem hic fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum. & dicam ei. Pater peccaui in celum & coram te. & iam non sum dignus uocari filius tuus. fac me sicut unum ex mercenariis tuis.

Et surgens uenit ad patrem suum. Cum adhuc longe esset. uidit illum pater suus. & misericordia motus est. Et accedens cecidit super collum eius. & osculatus est eum. Dixit ei filius. Pater peccaui in celum & coram te. iam non sum dignus uocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos. Cito proferte stolam primam. & induite illum. & date anulum in manu eius. et calciamenta in pedes eius. Et adducite uitulum saginatum & occidite. et manducemus. & epulemur. quia hic filius meus mortuus fuerat et reuixit. perierat & inuentus est.

Et cepunt epulari. Erat autem filius eius senior in agro. & cum ueniret & appropinquaret domui. audiuit symphoniam & chorum. & uocauit unum de seruis. & interrogauit que hec essent. Is ei dixit illi. frater tuus uenit. & occidit pater tuus uitulum saginatum. quia saluum illum recepit. Indignatus est autem. & nolebat uenire. Pater autem illius egressus. cepit rogare illum. At ille respondens. ait patri suo. Ecce tot annis seruio tibi. & nunquam mandatum tuum preterii. & nunquam dedisti mihi hedum. ut cum amicis meis epularer. Sed post quam hic filius tuus qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus uenit. occidisti illi uitulum saginatum. At ipse dixit illi. fili tu semper mecum es. & omnia mea tua sunt. Epulari autem & gaudere oportebat. quia frater tuus mortuus fuerat & re